



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

IV. De Callisti secundi Romana synodo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10634**



In margine est: *Ivo p. 8. c. 224.* Verborum varietas nulla est in illis: *sicut aliis gentibus Hispania & Provincia & Burgundionum.* At in illis est: *donec iudex omnipotens talium &c. al. vindex, pro iudex.* Et ad illa verba, *per ignorantes legem Dei, id est, per Saracenos &c.* in margine est: *al. etiam pro id est.* Et in Notis: *Per ignorantes.] In epistola B. Bonifacii martyris (quæ unâ cum multis aliis extat manuscripta in codice sæpe memorato bibliotheca Dominicana) legitur: per ignorantiam legis Dei & per Saracenos &c. cum quæ lectione concordant aliquot vetusta Gratiani exemplaria & ferè etiam Ivo.] In indice librorum est: Bonifacii martyris epistola ex bibliotheca monasterii B. Maria supra Minervam.*

DE CALLISTI SECUNDI  
Romana synodo.

*Dialogus quartus.*

**A**. TRIA volumina ejus collectionis, quam Anselmi Lucensis appellamus, ad manus meas pervenerunt sine nomine collectoris. Primum ex Ludovici Gometij Episcopi Sarnensis, cui ego Romæ suffectus fui sacri Palatii auditor, bibliotheca accepi; idque contuli cum alio exemplo Nicolai Ormaneti Episcopi Patavini. Tertium nuper ex Michaëlis Thomasi Ilerdensis Episcopi libris nactus sum. quod exemplum recens est ex bibliotheca Vaticana nuper, ut suspicor, exscriptum. Duo illa volumina satis antiqua visa sunt. In hoc igitur exemplo, post ea quæ in aliis libris leguntur, sunt quædam in singulis libris addita, ut mihi videtur, à poste-



rioribus scriptoribus aut dominis ejus voluminis, sive illius à quo id sumptum est. In his sunt canones Concilij Romani Callisti minoris, de quibus hodie sumus dicturi. Aperi C. hunc librum, & quære librum quartum extremum. B. Cur Romani selecti viri ex hoc libro emendationem Callisti capitum non fecerunt, præsertim cùm ipse Thomasius & Petrus Ciacconius ejus sodalis eodem libro fuerint usi? A. Cur id factum sit, plane ignoro. In causâ tamen fuisse existimo, quod sine ulla inscriptione canonum verba posita sint, ipsâque canonum distinctio nulla sit, ut vestris oculis inspicere potestis. C. Quâ igitur de causâ hæc hujus Concilij esse dicis? A. De singulorum capitum distinctio videamus. Simul enim & de scriptore ipso sive canonum auctore cognoscemus. Capituli primi verba sunt: *Sanctorum patrum exempla sequentes*, & quæ sequuntur. Hæc Callisti Papæ verba esse Gratianus scribit. (1) Capituli secundi verba esse existimo: *Nullus in Prepositum &c.* quæ etiam Gratianus eidem Callisto Papæ adscripsit. In verbis est aliqua varietas. Namque apud Anselmum mendose scriptum videtur: *Nullus & in Prepositum, nullus in Archiepiscopum, nullus in Decanum, nullus in Presbyter vel Diaconus.* Aptius apud Gratianum est: *Nullus in Prepositum, nullus in Archiepiscopum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter vel Diaconus.* Mihi tamen videtur tollenda esse ab hac Gratiani scriptura illa verba, nul-

1. q. 1. c. 10.  
Sanctorum.  
Dist. 60. c. 2.  
Nullus.



lus in Archiepiscopum. Cur enim magis de Archiepiscopis quam de Episcopis statuatur, aut cur Archiepiscopus post Præpositum scribatur, causa nulla est. B. In Anselmi verbis vocem *Archiepiscopum* ex compendio vocis *Archipresbyterum* confectam arbitror. Hac de re agitur in synodo Innocentij minoris capite octavo. Illa autem verba, *nullus in Decanum*, Urbani minoris in Concilio Claromontano esse videntur. Hæc duo capita Callisti minoris videri notarunt selecti viri. Nihil enim, inquit, Callistus primus scripsit, & tertius Gratiano multò posterior fuit. A. Callisti primi epistulas cur reiciunt? B. Causam nullam accepi. (2) A. Capitis tertij verba esse existimo: *A Presbyteris, Diaconibus &c.* quod apud Gratianum non inveni. Capitis quarti initium est: *Præterea juxta beatissimi Papa Stephani sanctionem statuimus ut laici &c.* Hoc quoque caput non inveni apud Gratianum. Sed Stephani Papæ verba sunt epist. II. cap. IX. & Eulalij Episcopi Syracusani in synodo tertia Romana contra Symmachum, cujus verba posuit Gratianus a non semel, Trosleianum Concilium cap. III. Paschalis minor cap. II. vel IV. Capitulare Caroli & alior. lib. V. & VI. b Burchardus c, Ivo d, Deus-dedit e, Anselmus f, & liber Cæsar Augustanus g, & Tarraconensis h. (3) Quod sequitur *sed secundum Apostolorum canones &c.* ad caput XXXIIX. Apostolorum refertur, quod in septima synodo cap. XII. insertum est. Id apud Gratianum i refertur quasi ex hi-

a Dist. 96. c.  
 1. p. Eulalius.  
 & 16 q. 7. c.  
 24. Laicis.  
 b Cap. lib. 3.  
 c. 249. & lib.  
 6 c. 294.  
 c Turc lib.  
 15. c. 35.  
 d Ivo par. 16.  
 c. 36. decret.  
 e Deus-de. c.  
 4.  
 f Ans. lib. 5.  
 c. 10.  
 g Cas. lib. 7.  
 c. 112.  
 h Tarrac. lib.  
 1. c. 59.  
 i 12. q. 2. c.  
 19.

S



k Dialo. 9.  
lib. 1.

l 16. q. 7. c.  
25. Si quis.

m Burc. lib.

7. c. 1.

n lvo part. 9.

c. 22. decret.

o in epist. 39.

o Ans. lib. 11.

e. 84.

p 35. q. 2. c. 2.

q Tarrac. lib.

5. c. 71.

storia Eusebij Episcopi Cæsariensis cap. xii, ut aliquando diximus k. Illa autem verba *Si quis ergo Principum &c.* Callisti Papæ esse Gratianus l auctor est; eaque conscripsit post verba Eulalij, quem falso Gelasium appellat Syracusanum. de quibus nunc dicebamus. Sumpsisse videtur hæc Callistus minor ex decretis Paschalis minoris capite quinto. In verbis Gratiani & Anselmi hoc interest, quam *dominationem* Gratianus appellat, aliter *donationem* vocat. (4) Quinti capituli initium esse existimo: *Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus &c.* B. Hæc Callisti primi verba sunt in epistula secunda ad Episcopos Galliæ, Isidoro Mercatore teste & aliis collectoribus, Burchardo m, Ivone n, Anselmo o, & Gratiano p, & libro Tarracoenfi q. A. Negasse viros selectos Romæ dicebas quicquam Callistum primum scripsisse, fortasse quia Isidoro parum credendum putarent, cujus auctoritate illæ epistolæ fulcirentur. Quod si Callisti epistulas reicimus, hæc verba posterioris tantum sunt. Sed malo credere secundum Callistum à primo verba hujus capituli sumpsisse. B. Idem mihi videtur, præsertim cum eo tempore jam Isidori collectio recepta esse videretur. A. Ineptè apud Gratianum est *prohibentur. quare; quia has &c.* Meliùs in hoc canone, *prohibemus, quoniam eas.* & apud Isidorum, *prohibentur, quando has.* Quod etiam Gratianus habet, *Leges ergo divina,* & postea, *Leges ergo sacrali,* quod etiam apud Isidorum est, meliùs hic



noster scripsit: *Leges enim divinae. & postea, Leges verò saculi.* (5) Venio nunc ad sextum caput, quod hujus Callisti esse negaverit nemo. *Ordinationes*, inquit, *quæ à Burdino hæresiarcha, postquam à Romana Ecclesia est damnatus, quæque & à pseudoepiscopis per eum postea ordinatae sunt, nos esse irritas judicamus.* C. Quis hic Burdinus hæresiarcha fuit? A. Sic appellare solent Romani Pontifices eos qui in schismate electi sunt & se adversus veros Pontifices Episcopos Romanos sive Papas vocari passi sunt. Hic Burdinus Archiepiscopus olim Bracarensis, in schismate adversus Gelasium minorem factione Henrici IV. Imperatoris electus est; & cum prius Mauritius Burdinus diceretur, mox se Gregorium VIII. appellavit. Gelasio mortuo, à Callisto captus, & quasi in triumpho in urbem ductus est. B. Non dubium est quin hæc aut Gelasij, aut Callisti sint. A. Callisti nomen vides superioribus capitibus additum. Sic etiam additur verbis capituli septimi: *Nullus omnino Archidiaconus &c.* In verbis pæne convenit cum Gratiano. Tantum pro *sicut à sanctis* scribi debet *sicut sanctis*; & pro *contra hoc, contra hæc.* (6) Capite XIX. de possessionibus Ecclesiæ Romanæ agitur. Quam ob rem facile credis hoc fuisse Concilium Romanæ habitum. Capituli IX. verba sunt: *A suis Episcopis excommunicatos ab aliis Episcopis, Abbatibus, & Clericis in communionem recipi proculdubio prohibemus.* Caput X. apud Gratianum invenietis Callisto adscribi distinct.

16. q. 7. c. 111  
Nullus.

Distin. 62. c.  
ult.



276 LIBER POSTERIORIS  
LXII. *Nullus in Episcopum nisi canonicè electum consecret &c.* (7) Alio die de ceteris agemus.

A D D I T I O N E S.

(1) **C**APITIS decimi *Sanctorum patrum*. 1. q. 1. hæc inscriptio est in Gregoriana editione: *Item Calixtus Papa. In Notis additur: Episcopi Calixti secundi, qui paulò ante Gratianum vixit, & aliquot Conciliis à se habitis contra Simoniam & investituras Ecclesiarum, quas Germanici Imperatores usurpaverant, multa decrevit. de quibus Abbas Vespertingensis ab anno Domini 1118. (in quo electus est Pontifex) usque ad annum 1124. accuratè scribit. Callisti I I. omnia capita imperfectè edita sunt. Et in toto volumine Gratiani, cum solum nomen est Pontificis aut synodi, neque additur epistula vel capitulum, signum est fontes non fuisse repertos.*

(2) In eodem libro inscriptio capituli 2. distinctio 60. hæc est: *Item Calixtus Papa. Nullus in Præpositum, nullus in Archipresbiterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter, nullus in Archidiaconum nisi Diaconus ordinetur.*

(3) Gratianus distinctio 96. cap. 1. ita inscripsit, ut in libro Romano est: *Vnde Symmachus Episcopus catholica Ecclesia urbis Roma synodo præsidens dixit: Bene quidem fraternitas vestra &c.* In margine est: *In synodo Rom. 3. sub Symmacho c. 1. & seq. Inscrip- tio capituli 24. Laicis. 16. q. 7. est hæc: Item ibidem [ hoc est, in synodo Romana tertia Symmachi Papa ] Eulalius Episcopus Syracusana Ecclesia dixit. Et in margine est: Et epi. 2. Stephani. I. c. 9. & in decretis Paschalis II. manuscrip. Pol. l. 6. tit. 1. Deus-dedit p. 4. In Notis: *Facultatibus* ] Antea legebatur dignitatibus. Emendatum est ex originali [ ut sup. dist. 96. Bene quidem ) epistola Stephani primi & decreto Paschalis II. manuscripto. quibus locis hoc idem repetitur.*

(4) Hæc etiam inscriptio in eodem libro est capituli 25. *Si quis principum. 16. q. 7. Item Calixtus Pa-*



pa. In margine pro voce *dominationem* est, *al. donationem*. Et in Notis: *Inter decreta Calixti, ex quo citatur, non est inventum. Habetur in decretis Paschalis II, manuscriptis c. 5. Sed non est mutatum nomen Calixti, quia Pontifices isti, qui iisdem ferè temporibus fuerunt (De Callisto secundo & Paschali intellige) frequenter eadem decreta suorum antecessorum repetebant.*

(5) Quod ad caput secundum attinet 35. q. 2. & 3. eius inscriptio in eodem libro est: *Item Calixtus Papa epistola secunda ad Episcopos Gallia. Conjunctiones consanguineorum fieri prohibete, quando has &c. Leges ergo divina &c. Leges verò saculi &c.* In margine hæc sunt: *Poly. ibid. (hoc est. Poly. l. 6. tit. 4.) Barc. l. 7. c. 1. Ivo p. 9. c. 22. Et vers. Nos verò. Simile in Concilio Innocentij II. Et ad vocem Imperatorum, al. Imperator Romanorum.*

(6) Ante caput II. *Nullus omnino.* 16. q. 7. hæc in eodem libro verba sunt: *Item Callixtus Papa.* In margine est: *al. Ex Concilio Rothomagensi.* In verbis nulla varietas. *Sicut sanctis canonibus editum est, & contra hoc facere.*

(7) Inscriptio capitis ultimi dist. 62. in eodem libro est: *Vnde Calixtus PP. II. Nullus in Episcopum &c.* In margine est: *In Pontificali est mentio huius decreti.*

DE EADEM RE.

*Dialogus quintus.*

**C.** LI C E T ne paucis antequam alia Calixti capita percurras? **A.** Et paucis & multis licet. **C.** Cur hæc Callixti capita, ut Gratiani verbis confirmasti, non sic etiam Burchardi & Ivonis & alior. collectorum locis confirmas? **A.** Si Burchardus & Ivo &

S iij